

XXII

AD ARISTIVM FVSCVM

Strophe Sapphica

Integer vītae scelerisque pūrus
Nōn eget Maurīs iaculīs neque arcū
Nec venēnātīs gravidā sagittīs,
Fusce, pharetrā,

Sīve per Syrtēs iter aestuōsās,
Sīve factūrus per inhospitālem
Caucasum, vel quae loca fābulōsus
Lambit Hydaspsēs.

Namque mē silvā lupus in Sabīnā,
Dum meam cantō Lalagēn, et ultrā
Terminum cūrīs vagor expeditīs,
Fūgit inermem.

Quāle portentum neque mīlitāris
Daunias lātīs alit aesculētīs,
Nec Iubae tellūs generat, leōnum
Ārida nūtrīx.

Pōne mē pigrīs ubi nūlla campīs
Arbor aestīvā recreātur aurā,
Quod latus mundī nebulae malusque
Iuppiter urget ;

Pōne sub currū nimium propinquī
Sōlis, in terrā domibus negātā :
Dulce rīdentem Lalagēn amābō,
Dulce loquentem.